Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8282
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quam comedat. Doce me querere te et
ostende te querenti, quia nec querere te pos-
sum nisi tu doceas me, nec invenire
nisi te ostendas. Queram te desiderando,
amem te inveniendo. Fateor domine et
gratias ago quia creasti me in ymaginem
tuam ut tui memor te cogitem et
amem, sed sic est abolita attricione
viciorum, sic est offuscata fumo
peccatorum, ut non possit facere ad quod
facta est nisi tu renoves et refor-
mes eam. Inquisitio divine po-
tentie misericordie et iusticie
Non tempto domine penetrare
altitudinem tuam, quia nullatenus
comparo illi intellectum meum,
sed desidero aliquatenus intelli-
gere veritatem tuam quam credit et
amat cor meum. Neque enim quero in-
telligere ut credam, sed credo ut
intelligam. Nam et hoc credo quia
nisi credidero non intelligam. Ergo domine
qui das fidei intellectum, da mihi
ut quantum scis expedire intelligam
quia es sicut credimus et hoc es
quod credimus. Et quidem credimus
te esse aliquid quo nichil maius
possit cogitari. Sed et omnipotens quomodo
es si omnia non potes? Corrumpi non
mentiri nec facere verum esse falsum
ut quod factum est non esse factum
et plura similia, quomodo potes omnia? An
hec posse non est potentia sed impo-
tentia? Nam qui hoc potest quod sibi
non expedit et quod non debet potest.
Quod quanto magis potest, tanto magis
adversitas et perversitas potest in illum
et ipse minus contra eos. Qui
ergo sic potest non potentia potest sed
impotentia. Ergo domine deus, inde

verius es omnipotens quia nichil po-
tes per impotentiam et nichil potest
contra te. Sed misericors simul et im-
passibilis quomodo es? Nam si es im-
passibilis non compateris, sed non com-
pateris. Non est enim tibi miser
cor ex compassione miseri. Misericors es
domine, misericors es secundum nos quia mi-
seros salvas et peccatoribus parcis,
et non secundum te quia non compateris. Non
est enim tibi cor miserum ex compassione
miseri. Misericors es non quia tu
sentis affectum. Verum malis quomodo
tu parcis si totus et sine me
iustus es? Sed tu punis malos iu-
stum est, quia illorum meritis convenit,
et tu parcis malis iustum est quia
bonitati tue conveniens est. Parcendo
igitur malis iustus es. Sic itaque
sine repugnantia et iuste punis
et iuste parcis. Quemadmodum autem es
non per aliud es quam per teipsum. Tu
es ipsa vita qua vivis et sapientia
qua sapis et bonitas ipsa qua
bonis et malis bonus es, et
ita de similibus. An invenisti anima
mea quod querebas? Querebas deum
et invenisti eum esse quoddam
summum omnium quo nichil melius
cogitari potest. Inquisitio ve-
ritatis eternitatis et bonitatis
Domine deus meus formator
et reformator meus, dic
desiderati anime mee quid
aliud es quam quod vidit, ut pu-
re videat quod desiderat. Intendit
se ut plus videat et nichil vi-
det ultra hoc quod vidit nisi te-
nebras. Immo non videt tenebras